

RUSTICUS¹ HELPIDIUS DOMNULUS († 501/502)

CARMINA IN HISTORIAM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

EVA A DIABOLO SEDUCTA

PL
62, 543

Evae, viperea, vetitum decerpere pomum
 Invidus, arte parat, tantae quae nescia fraudis
 Credidit infelix socio peritura marito.

1471

ANGELI AD MARIAM ADVENTUS

Angelus illaesum Mariae per somnia Ioseph
 Connubium servare monet: hic dote repleta
 Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.

GENNADIUS Massiliensis († 492/505)

EPISTOLA DE FIDE

PLS
III, 724

1472

[...] Filius ergo Dei, qui dicitur Verbum Dei et sapientia Dei, car-
 nem adsumpsit ex virgine Maria, ut sicut vero ex Deo Patre est ge-
 nitus verus Deus, ita fieret ex homine verus homo; non tamen in his
 duabus naturis duas habens personas, sed una persona Deus et homo.
 Filius Dei unigenitus verus et perfectus Deus, verus et perfectus homo,
 non adoptivus, neque putativus, sed verus et proprius filius Dei.
 Natus est ergo Dei filius ex virgine Maria, non per hominem, id est
 ex viri coitu, sed per virtutem Spiritus sancti conceptus ex virgine,
 ut ait ei angelus Dei: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum et*
*caetera. Concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*²
 Ait autem Maria ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non*
*cognosco?*³ Et dixit ei angelus: *Spiritus * sanctus superveniet in te, et*
virtus Altissimi obumbrabit tibi, et quod nasceretur ex te, sanctum voca-
*bitur et est filius Dei.*⁴ Et ita natus est ex virgine Maria verus Deus
 et verus homo cum anima rationali et carne cum sensibus suis; per
 quos sensus veros in passione et ante passionem carnis dolores susti-
 nuit, et in eadem carne mori dignatus est pro redemptione mundi,
 permanens in divinitate impassibilis.

¹ Vel Rusticius (Clavis 1506).² Le. I, 28, 31.³ Le. I, 34.⁴ Le. I, 35.

DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

1473 Cap. LXIX. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiae Helvidii acquiescendum qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. PL 58, 996

RURICIUS (Senior) Lemovicensis¹ († post 507)

EPISTOLA X

1474 [...] Nam et Dominus in Evangelio, cum ei a circumstantibus diceretur: *Ecce mater tua, et fratres tui quaerunt te, volentes videre te ita respondit: Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens apostolos, sequentes se: Nonne hi, qui faciunt voluntatem Patris mei?*² Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam et S. Maria, quae et virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. PL 58, 90

S. AVITUS Viennensis Allobrogum (ca 450 † ca 518)

EPISTOLAE

1475 Ep. II. [...] Filium Dei, cum Patre ante saecula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de caelo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam: *Caelum et terram ego imleo,*³ non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut Mariam virginem Θεοτόκον, id est quae Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quae Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est: ut scilicet

PL 59, 204

¹ Vel Lemovicinus (Clavis 985).

² Matth. XII, 47, 48, 49.

³ Ier. XXIII, 24.

● PL 58, 760, 763, 825, 843, 854, 855, 856, 881, 902, 905, 907, 911, 919, 981, 982, 1068, 1077, 1101, 1106, 1110, 1112.